

Tab. 69.

TEUCRIUM LAXMANNI.

Teucrium foliis ovato-oblongis; villosis subintegerrimis, floribus axillaribus solitariis sessilibus. Willden. *Spec. pl. tom. 3. p. 20.*

Teucrium foliis ovato-oblongis integerrimis sessilibus, floribus solitariis sessilibus. *Syst. veg. 439.*

Teucrium Laxmanni. Pill. et Mitterp. it. posegan. p. 12. t. 1.

RADIX perennis, ramosa fibrofaque, pallide fusca, repens, e tuberculis albis, per hyemem natis, verno tempore caules, in fertili solo copiosos, protrudens.

CAULES pedales aut sesquipedales, erecti aut adscendentes, longiores tandem decumbentes, teretes cum angulis quatuor eminentibus, simplicissimis, hirsuti.

FOLIA, quorum 4-7 paria infra flores sita sunt, oblonga, obtusa, nervoso-venosa, utrinque hirsuta, ab hirsutis & punctis eminentibus scabriuscula, supra nitidula, subtus pallidiora, sessilia & margine eminente subconnata; inferiora reliquis multo angustiora brevioraque, cuneiformia saepe integerrima; superiora ovato-oblonga aut linguiformia, versus apicem utrinque aliquot dentibus subserrata, apud nos raro omnia integerrima; floralia latiora brevioraque, semper integerrima.

FLORES axillares, secundi, solitarii, breviter pedunculati.

CALYX ovatus, hirsutus, quinquefidus: laciniis æqualibus, etiam intus hirsutis, latiusculis, obtusis, inferioribus binis utrinque incisura profundiore sejunctis.

COROLLA utrinque pilosa, colore tristi fordide flavescens, lineis atropurpureis notata: labio trilobo: medio productiore bilobo: lobulis divaricatis, antice rotundatis.

FILAMENTA planiuscula, apice incurva, basi angustata, fordide lutea. Antheræ oblongæ, fusco-flavæ.

STYLUS albidus, apice incurvus. Stigmata duo, subrubella.

SEMINA quatuor, lubovata, dorso convexa, & punctis excavatis seu foveolis insculptis velut reticulata, latere interiore linea eminente, utrinque autem margine prominulo in apicem obtusum coeunte subangulata.

Facies plantæ triflis; odor subnullus, tritæ debilis; sapor amaricans amygdalinus.

Caules steriles, quos æstate profert, una cum foliis plerumque hyemem perferunt, & non raro, cum terræ nudæ incumbunt, aut humo teguntur, ad genicula radices agunt & ex axillis foliorum caules alios emittunt.

Crescit in Comitatu Pesthienfi, Albenfi, Veszprimienfi, Tolnenfi, Baranyenfi, Syrmienfi & Bacsenfi, locis siccis apricis, nuspiam frequens. Floret a Majo in Julium.

Characteri generis in hac planta non respondet calyx, utpote nec acutus nec gibbus.

EXPLICATIO TABULAE.

a. Flos in nat. magnitudine.

b. Semen auctum.

Tab. 70.

CREPIS HIERACIOIDES.

CREPIS foliis integris, sinuato-dentatis, nudis, radicalibus ovatis, in petiolum decurrentibus; caulinis lanceolatis, sessilibus.

RADIX, quæ perennis esse videtur, conflatur fascie radicularum filiformium, albidarum, vix duos pollices longitudine superantium.

CAULIS solitarius, erectus, subbipedalis, pentagonus, lateribus planiusculis striatis, glaber, foliis 3-5 vestitus, simplex, superne divisus in tres quatuorve ramos inæquales, subbifloros, aut porro divisos in ramulos seu pedunculos itidem subbifloros.

FOLIA sinuato-dentata, glabra, nuda, venosa, pallide viridia; radicalia ovata, aut oblongo-ovata, in petiolum subcarinatum, supra canaliculatum albidum decurrentia, obtusa; caulina sessilia, ovato-lanceolata aut lanceolata, acuta, superiora multo minora, ad ramos subintegerrima, nonnunquam basi hinc aut utrinque dente instructa.

FLORES sæpe tantum 4-6, in vegetiore planta magis ramosa ad 15-20 & plures. Pedunculi simplices bifidique, subincrassati, hispidi: setis nigris glanduliferis.

CALYCES ovato-oblongi, subhispidi: squamis exterioribus quadruplo brevioribus lanceolatis adpressis; interioribus angulissimis linearibus subcarinatis, carina pilosis, pilis seu setulis nigris glanduliferis.

COROLLULAE flavæ, truncatæ, quinquedentatæ, tubulo pallido.

STAMINA filamentis brevibus, albidis: antheris in tubulum angulatum connatis, flavis.

PISTILLUM germine oblongo albo, stylo stigmatæque bifido flavis, antheras excedente, parte emersa subvillosa.

SEMEN oblongum, striatum, glabrum, fuscum, nudum. Pappus pilosus, sessilis, candidus.

Receptaculum nudum.

Crescit in sylva Bakon locis graninosis inter Városlöd & Nagy-Váfony, nec alibi hactenus reperta. Floret Julio.

Tab. 71.

THYMUS MONTANUS.

Thymus suffruticosus, floribus verticillato-spicatis, spicis obliquis; pedunculis unifloris; foliis ovatis obtusis integerrimis, calycibusque subnudis.

Thymus floribus verticillatis, pedunculis unifloris, caule erecto ramoso, foliis ovatis integerrimis, calycibus glabris. Willd. Spec. pl. Tom. III. P. I. p. 145. Excluisis synonymis.

RADIX lignosa, ramosa fibrosaque, tres quatuorve pollices longitudine æquans, fusca.

CAULIS palmaris aut spithamæus, erectiusculus, in solo fertiliore longior, basi decumbens, inde ascendens, inferiore parte frutescens, ibidemque ut plurimum varie flexus & contortus, ramosusque: ramis primum erectis, tum ascendentibus, caulesque lignosos formantibus; caules ramique tetragoni: angulis pubescentibus, interjecto spatio convexo, nudo.

FOLIA ovata, in petiolum protracta, integerrima, obtusa, patentissima, demum plerumque reflexa, plana, utrinque punctis excavatis plurimis notata, subtus pallidiora aut livide purpurascens, nuda, rariore casu subtus aut utrinque pilis aliquot albis adspersa, basi que ciliata, triplinervia nervosaque: nervis scilicet duobus, præter medium, e petiolo juxta marginem excurrentibus, aliis utrinque tribus e nervo medio exeuntibus, in recente planta obsolete; in sicca eminentioribus. Petioli breves, nudi, aut hinc vel utrinque uno alterove pilo subciliati.

